



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ut in casu proposito ei locus esse non posset ob temporis circumstantias. Respondent enim, Imperatoris, Senatus, & civium urbis regis desideriis obsequendum fuisse, qui novam istam auctoritatem decreto synodi Oecumenicæ confirmari volebant. quod fieri non poterat, si ante omnia Pontificis sententia exquirenda fuisset. Itaque in his angustis se negotium constituisse, non dubitantes quin Leo hoc quoque decretum amplecteretur. quod perinde esset ac si ab initio ipse illius auctor fuisset, eò quòd rectorum facinorum à filiis gestorum omnis gloria redunderet in patres, qui jure patriæ potestatis hoc sibi vindicant. Quare obnixè rogant Pontificem ut suo quoque decreto synodi iudicium honoret, ut sicut in rebus fidei rectè constitutus Pontifici tanquam capiti consensum suum adhibuerunt, ita quoque primatus sui jure ipse quod decet filiis impendat, nempe confirmationem & consensum, καὶ πεπερασμένον βεβαίωσιν τε καὶ συγκαταθήσονται.

CAPVT XII.

Synopsis.

I. Investigatur quam esset veterum sententia de hoc jure relationis cum prerogativa suffragij ante Concilium Ephesinum. Ejus exemplum illustre in Sardicensi Concilio: in quo summa auctoritas fuit Osi, Romani Pontificis Legati. Socrates & Sozomenus explicati, qui aiunt non licere quicquam decernere de rebus ecclesiasticis absque sententia Episcopi Romani. Hanc hac interpretatio è verbis Iulij.

II. Prerogativa illa suffragij non adimebat ceteris libertatem suffragiorum. Probatur ex Julio; cujus verba explicantur.

III. Quid sit canon ecclesiasticus apud Socratem. Is est canon Nicænus sextus, quo primatus defertur Episcopo Romano præ ceteris Patriarchis, quod probatur multis auctoritatibus.

IV. Ordo dignitatis Patriarcharum constitutus in Concilio Nicæno. Canone vij. quartus honoris gradus tribuitur Episcopo Hierosolymorum, id est, primus post tres Patriarchas. Varia hujus canonis versiones. Canone vij. definiti loci trium Patriarcharum. Probatur ex verbis canonis; tum auctoritate Papa Leonis ad Anastasium scribentis.

V. Cum primum dignitatis locum obtineret Episcopus Romanus, consequens est ut jus prima sententia & suffragij prerogativam obtineret. Ea fuit mens Socratis & Sozomeni. Eam prerogativam agnovit Concilium Romanum sub Damaso.

VI. Træσις dictio, qua usi sunt Socrates & Sozomenus, auctoritatem cum suffragio conjunctam significat in antiquis canonibus. Probatur ex canone vij. Concilij Nicæni, ubi ἡ δὲ συνήθεια sumitur pro Metropolitanis suffragio & auctoritate. Prima autem sententia erat penes Metropolitanos.

VII. Ab illis quoque pendebat rerum gestarum confirmatio; sive τὸ ἀποφασίζεσθαι tamen ut omnia communi

decreto & ex sententia plurimorum agenda essent, ex canonibus Nicænis. Id quoque statutum in canone apostolico xx x i i i. ubi ἡ δὲ συνήθεια sumitur pro sententia Metropolitanis, atque item pro collectione suffragiorum omnium Episcoporum. Hac eadem notione vox illa usurpatur in canone apostolico xx x i x. & in canone lvii. Laodiceno.

VIII. Illustre hujus significationis testimonium extat in synodo Chalcedonensi Actione quarta. Unde colligitur canone Nicæno statutum ut omnes Episcopi sententiam sui Primatis expectent, & nihil arduum agant prætermittendo illius sententiam. Ἐπιτομή Alexandrini Episcopi definitionem interpretati sunt Judices.

IX. Jus ab Ægyptiis Alexandrino Episcopo tributum Romano asserit Petrus Chrysologus. Concilia Oecumenica nihil in Ecclesia decerni posse putant absque sententia Romani Pontificis, cum de causis universalius agitur. Probatur etiam auctoritate Macedonij Patriarchæ CP.

X. Quinta Synodus rogat Vigilium ut ad Concilium accedat, & ceteri presideat; missa etiam amplissima & insigni legatione. Qui respondet se suam sententiam Principi porrecturum seorsum à synodo. Vigilij confirmavit definitionem synodi; qua tunc sine controversia Synodi Oecumenica nomen prætulit.

I. Si quis autem illud quoque requirat ut exponam quamnam esset veterum sententia de hoc jure relationis cum prerogativa suffragij ante Concilij Ephesini tempora, consulendum est Sardicensi Concilio; in quo Osius Romani Pontificis Legatus referet de rebus canone constituendis, sed ita ut primam sententiam addat. Deinde rogat patrum suffragia, qui confertim in ejus sententiam transeunt. Pulcrum sanè antiquitatis monumentum, in quo jus relationis eminet. Gaudentius quidem & Ianuarius Episcopi tres canones proposuerunt, Osius connivente. Sed hoc nihil detrahit de jure legationis; præcipuè cum ad suam auctoritatem trahat, quando lubet, quæ ab alio Episcopo proponuntur, ut accidit Olympio Episcopo, qui suggestit ultimum canonem; cui Osius decretum addidit: Osius dixit: Suggestente fratre & coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit. Ad hanc prerogativam referendi sunt Socrates & Sozomenus, quorum testimonia frequentissimè proferuntur; sed quæ à paucis, ut quidem puto, sincerè intellecta sunt. Eusebiani coegerant Antiochiæ Concilium Orientalium Episcoporum, quod Athanasio Georgium Cappadocem substituit. Socrates verò notat nec Iulium Episcopum Romanum nec ejus Legatos ad eam synodum accessisse; cum canon ecclesiasticus jubeat non oportere absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiis sancire: Ἀλλὰ μὲν εἰς τὸ ἴδιον παρὸν ὁ τῆς μεγίστης Ρώμης ἐπίσκοπος, εἰδὲ μὲν εἰς τὸν τόπον αὐτῆς ἀπεσταλμένοι τῶν ἁγίων καὶ ἐκκλησιαστικῶν κληρικών, καὶ μὴ δὲν ὅτι τὸν γράμματα ἔπιτομή Ρώμης τῆς ἐκκλησίας κληρικών. In ejusdem

ejusdem facti narratione severioribus verbis hanc legem Sozomenus expressit. Ait enim Iulium cum Orientalibus expostulasse quod contra leges Ecclesie ipsum ad synodum non vocassent. Nam legem esse sacerdotalem que pronuntiat acta illa irrita esse que absque sententia Episcopi Romani constituuntur. Insignis alicujus auctoritatis vestigia latent in significatione horum verborum, *ἡ δὲ τῶν ἁγίων*, cum *ἁγίων* illius defectus irrita reddat synodorum decreta. Vnde patet hac locutione non nudum aliquod suffragium, sed prerogativam suffragij, de qua hucusque multis diximus, significari. Ne quis verò meæ conjecturæ hanc interpretationem imputet, profiteor eam me hausisse à verbis Iulij, unde Socrates & Sozomenus sua quoque traxerunt. *An ignoratis*, inquit Iulius, *hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, sicque hinc qua justa sunt definiantur. Si ergo talis suspicio in eum Episcopum inciderat, huc eam oportebat ad istam Ecclesiam deferri.* *ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἐστὶν τῶν ἁγίων, ὡς ἔρεπον γὰρ ἐπέσχετο ἡμῖν, καὶ οὐκ ἐστὶν ἐκ τῶν ἁγίων ἀποφασίζουσα; εἰ μὴ ὅτι πρὸς τοῦτον ἐπιπέσει εἰς τὸν ἐπίσκοπον τῶν ἐκείνῃ, ἔδει τῶν ἁγίων ἐπιπέσει ἐκκλησίᾳ ἡμετέρῃ.*

II. Primam itaque sententiam & suffragij prerogativam disertissime sedi suæ asserit Iulius ex recepta consuetudine; qua in rebus communibus Ecclesie universalis statum contingentibus, (qualis erat Athanasij causa, quæ fidem respiciebat) non autem in ceteris disciplina negotiis, uteretur. atque hoc est quod contendimus. Ceterum hoc non adimit suffragiorum libertatem ceteris Episcopis; quemadmodum profertur Iulius in eadem epistola. *Nam si, ut dicitis*, inquit, *omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum canonem, & non isto modo, iudicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur.* Quorum verborum hic est sensus; oportuisse de negotio ad Romanum Episcopum & ad Synodum Occidentalium perscribi; ut communi omnium Occidentalium & Orientalium decreto, quæ justa essent, constituerentur. Ex hoc loco mihi videntur collegisse Socrates & Sozomenus necessitatem sententiæ Romani Pontificis in synodis nisi canone ecclesiastico.

III. Querunt anxie viri eruditi quis sit canon ille ecclesiasticus. Sed non est quod tantopere vexentur in re alioqui satis aperta. Is est canon Nicænus sextus, quo primatus defertur Romano Episcopo præ ceteris Patriarchis; quemadmodum & Synodus Oecumenica secunda & Iudices Cognitores in Concilio Chalcedonensi canonem illum interpretati sunt. Relectis enim canone vi. Nicæno & canone CP. in Synodo Chalcedo-

nensi, Iudices pronuntiarunt primatum deberi Romanæ sedi juxta canones: *Perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.* Hunc quoque canonem Nicænum respexit Novella Valentiniani, cum ait beati Petri merito, urbis dignitate & auctoritate, firmatum fuisse primatum Romanæ Ecclesie. Vnde in verulissima canonum interpretatione, quam Paschasius in Concilio Chalcedonensi protulit, lemma canonis Nicæni ita conceptum est: *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum.* *ἢ ἐκκλησία Ρώμης πάντοτε ἐστὶν ἡ πρώτη.*

IV. Non solum enim canonibus Nicænis Patriarcharum potestas sancita est, sed etiam ordo dignitatis constitutus. Id eximie docet canon vi. i. quo quartus honoris gradus tribuitur Æliæ sive Hierosolymorum Episcopo, id est, post tres Patriarchas, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum: *Quia consuetudo obtinuit & antiqua traditio ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam; salva metropoli propria dignitate.* Quod in Græco contextu habetur *ἐκ τῶν τῆς ἡμετέρας ἀνορθίας*, Dionysius Exiguus vertit *honoris consequentiam*; antiqua verò Teilonis versio relata in Concilio Carthaginensi vi. i. *ordinem honoris*, id est, ut primum gradum post tres Patriarchas, de quibus actum canone sexto, Hierosolymorum Episcopus obtineat. Si Concilium curam ordinis gessit in assignando hujus Episcopi loco, intelligere nos oportet id actum quoque canone sexto inter priores Patriarchas, ita ut ordine scripture Antiochenus sit tertius, Alexandrinus autem secundus, primus verò Romanus. Primatus ille colligitur ex ipsis verbis canonis; quæ Romanum Episcopum velut exemplar constituunt ejus auctoritatis quæ Episcopo Alexandrino confirmatur in Ægypto. Certa enim & recepta est illa regula, quam proposuit Aristoteles, quod primum est in unoquoque genere, exemplar esse ceterorum quæ genere illo comprehenduntur. Quare verè Leo I. Anatolio CP. exprobravit quod secundum gradum dignitatis Alexandrino Episcopo & tertium Antiocheno contra Nicænos canones auferre conaretur: *Dolce etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conararis infringere; tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundæ honoris privilegium sedes Alexandrina perdidit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit.*

V. Itaque cum primus dignitatis locus perspicue à Nicæna synodo deferatur Ro-

Concil. Chalced. Act. xxi.

Can. vi. Synod. Episcopo Romæ prævilius esse.

Concil. Chalced. Act. xxi.

Act. xxi.

Act. xxi.

Act. xxi.

mano Episcopo, hinc sequitur illi quoque eam auctoritatem competere qua poterantur in politica civili qui principem locum obtinebant, id est, primam sententiam, & suffragij prerogativam, quemadmodum recte jus illud e verbis Iulij interpretati sumus. Eadem quoque sine dubio mens fuit Socratis & Sozomeni: qui, ne quid ardui *καὶ ὑπόμνημα* Episcopi Romani constitueretur in Ecclesia, canone ecclesiastico vetitum fuisse scripserunt. Hanc prerogativam agnovit quoque Concilium Romanum ex Episcopis Italia & Galliae sub Damaso coactum: quod Ariminense Concilium ex eo elevat, inter cetera, quod Episcopus Romanus illi non interfuisset, cujus praecipue erat expectanda sententia: *Siquidem*, inquit, *numerus Episcoporum qui erant Arimini in unum congregati, praedicti vim habere non debet; praesertim cum formula illa composita sit neque Episcopo Romano, cujus sententia praeter ceteris omnibus expectanda erat, neque aliis eidem consentientibus.*

Concil. Rom. in ep. ad Illyrios, apud Theodoret. lib. 1. c. 21.

V I. Non frustra autem *ὑπόμνημα* dictio à Concilio Romano & à Socrate atque Sozomeno usurpatur. Etenim notio illius vocis non simplex nudumque suffragium sed etiam auctoritatem cum suffragio conjunctam significat in antiquis canonibus. Exemplum est obvium in sexto canone Nicæno; ubi statuitur illum non esse pro Episcopo habendum qui ordinatus fuerit *καὶ ὑπόμνημα ὑποπολιτῆς*, id est, *praeter sententiam Metropolitanani, juxta Dionysij versionem; vel praeter consilium, ut habet versio Teilonis; vel sine arbitrio, juxta vetustissimam interpretationem.* Quo loco *ὑπόμνημα* sumitur pro Metropolitanani suffragio & auctoritate. Prima autem sententia erat penes Metropolitanos, ut colligere licet ex eorum dignitate, & discretissime docuit Leo primus.

Concil. Nic. can. 6.

V II. Ab ipsis quoque pendebat rerum gestarum confirmatio, sive *τὸ κέρας*, ut loquitur Concilium Nicænum. Ita tamen in definitionibus suis versari eos oportebat ut omnia communi cunctorum decreto rationabili & secundum ecclesiasticam regulam comprobato transfigantur, obtineatque sententia plurimorum, quemadmodum loquitur canon sextus. Eadem omnino decreta fuerant in canone apostolico xxxiii. vel xxxv. ubi quemadmodum sententia Metropolitanani *ὑπόμνημα* dicitur, ita etiam collectio suffragiorum omnium Episcoporum *ὑπόμνημα* quoque dicitur, sicque ex duabus auctoritatibus una integra solidaque totius synodi sententia consurgit. Hac eadem notione *ὑπόμνημα* accipitur in canone apostolico xxxix. vel xl. unde transcripta est pars ultima canonis LVII. Laodiceni, quo prohibentur Presbyteri & Diaconi aliquid

agere *ἀνευ ὑπόμνημας ἑπιπολιτῆς*, id est, *sine auctoritate Episcopi.*

V III. Sed illustre hujus significationis testimonium extat in synodo Chalcedonensi: ubi post damnationem Dioscori Alexandrini, decem Episcopi Dioeceseos Aegyptiacae invitati à synodo ut subscriberent epistola Leonis & damnationi Eutychetis, respondent hoc tentari à se non posse, donec in locum Dioscori ordinatus fuerit Alexandria Episcopus, ex cujus sententia & praescripto ceteri Episcopi Aegyptij deinde subscriberant, hanc auctoritatem olim Episcopo Alexandriae delatam à canone Nicæno. *In omnibus*, inquit, *expectamus sententiam sanctissimi Archiepiscopi; & petimus vestram clementiam expectari praesidis nostri sententiam, quia cum in omnibus sequemur. Nam & sanctissimi patres qui in Nicæa congregati sunt trecenti decem & octo, hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Aegyptiaca regio Archiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinae, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo.* Itaque cum ab Episcopis urgerentur ut eandem cum synodo Oecumenica fidem profiterentur, iterum Iudices & synodum flebiliter obsecraverunt ut ordinatio Archiepiscopi expectaretur; *quatenus, juxta veterem consuetudinem, illius sequerentur sententiam. Quod si extra voluntatem praesidis nostri aliquid faceremus, sicut praesumptores, & non servantes secundum canones antiquam consuetudinem, omnes Aegyptiaca regionis insurgent in nos.* Unde colligere licet auctoritatem sive *ἐξουσίαν* primatus patriarchalis à canone Nicæno confirmatam in eo versari, ut omnes Episcopi *ὑπόμνημα* sive sententiam sui Primatis expectent, & nihil arduum agant praetermissa illius sententia, *καὶ ὑπόμνημα*, id est, sine illius decreto, & prerogativa suffragij. Tanta verò ratio habita fuit illius auctoritatis quae sedi Alexandriae competeat, ut Iudicum interlocutione, ipsiusque Paschasin Legati, Episcopis Aegyptiis dilatio quam petebant concessa fuerit. Sed notanda sunt verba Iudicum, qui *ὑπόμνημα* illam Alexandrini Episcopi, definitionem esse interpretati sunt. Quare Patriarcharum prima sententia, & prerogativa suffragij, definitionis vim habet, modò synodi quoque consensus accesserit.

V IX. Quod Alexandrino Episcopo jus vindicabant Aegyptij Episcopi, Petrus Ravennae Episcopus, cognomento Chrysologus, assererat Romano Episcopo in Italia: *Nos enim, pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanae civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* Imò verò cum de causis universalibus agitur, Concilia Oecumenica eandem in Summo Pontifice prerogativam

Concil. Chalced. c. 11.

Concil. Chalced. c. 11.

Concil. Chalced. c. 11.

Concil. Chalced. c. 11.

Concil. Chalced. c. 11.

Concil. Chalced. c. 11.

Concil. Chalced. c. 11.

agnoverunt, ut absque ejus sententia nihil in Ecclesia decerni possit: quam quidem per epistolam & per Legatos, qui vice sua synodo praesidebant, explicare consueverat. Inde manavit vox illa Macedonij Patriarchae C. P. qui Anastasio Imperatori, Chalcedonenſis Concilij nomen abolere fatagenti, idque à Macedonio exigenti, respondit hoc fieri non posse sine Concilio Oecumenico, cui Papa praesideret. *Χαλκιδωνίου οὐκ ἐπιτρέψεται τὸν τῆς μεγάλης Ρώμης ἐπίσκοπον εἶδέν ποτε εἰς ἔλεον.* apud Theodorum Anagnostem.

X. Quare tantopere laborabat Quinta Synodus Oecumenica ut Vigilius Papa, qui Constantinopoli aderat, ad synodum accederet, & cœtui praesideret. Tanta verò dignitatis apostolicae sedis ratio habita fuit, ut licet Nestorius Archiepiscopus Constantinopoleos & Dioscorus Alexandrinus à Synodo Ephesina & à Chalcedonenſi per tres Episcopos tantùm evocati fuerint, Vigilius ter invitatus fuerit ad Concilium per tres Patriarchas atque decem & septem Metropolitanos, quibus ultima vice tres Patricios & Quæstorem suum Iustinianus Imperator adjunxit. Ille verò cum eis convenire noluit, sed suam sententiam, seorsim à synodo, Principi se porrecturum dixit. Itaque in hoc reum articulo de quaestione proposita decernere Quinta Synodus sibi liberum esse duxit, etiam absente Pontifice, quod disertè in definitione sua adnotavit; ubi quoque Vigilij sententiam sequi se non obscure proficitur. Vigilius verò suo Constituto confirmavit definitionem synodi: quæ tunc sine controversia synodi Oecumenicæ nomen prætulit, quod adnotatum est à Concilio Sexto: *Vigilij Iustiniano consensit; & Quinta Synodus constituit: Βεγγίλιος Ἰουστινιανῷ συμφωνήσας, καὶ τὸ τῆς πέμπτης συνόδου συνέδριον.*

eorum in culpa sit. Hæc sunt verba Socratis: *Julius itaque contrarius literis ad ipsum missis, rescribens Episcopis qui Antiochia convenerant, graviter conquestus est, primum quidem de acerbitate ipsorum epistolæ, deinde quòd contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdicitum sit ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Valeſius ista non videns apud Socratem, confidenter pronuntiat ea nuspiam in illa epistola legi, Iulium porrò nihil dicere de regula illa ecclesiastica. Quòd verò addit Socrates, inquit Valeſius, *Iulium in suis literis conquestum esse quòd ipsum non invitassent ad synodum, regulam enim esse ecclesiasticam ut absque consensu Episcopi Romani nihil in Ecclesia decerni possit, id in epistola illa nuspiam legitur.* Et paulò post, de eadem Iulij epistola loquens, hæc addit: *Sed de illa ecclesiastica regula nihil dicit.*

II. Antequam ulterius progrediamur, constituendus est verus ac genuinus sensus verborum Socratis, ut videamus an congruere possint cum verbis epistolæ Iulij. Ait ergo Socrates, Iulium, cum accepisset literas quas ad eum perscripserant Episcopi Antiochiæ congregati adversus Athanasium, ad eos rescribentem graviter conquestum esse de acerbitate ipsorum epistolæ, deinde quòd contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum tamen ecclesiasticus canon dicat non oportere res Ecclesiarum ad normam dirigere præter auctoritatem Romani Pontificis, *ὅτι ἐκκλησιαστικὴ καὶ καθόλου κληρονομία καὶ δὲ ἐκ τῆς ἐκκλησίας τῆς καθόλου τῆς ἐκκλησίας. Vocem ἡγεμονία verti auctoritatem, secutus observationem illustrissimi Archiepiscopi, qui vocem illam adnotat in ecclesiasticis rebus significare sententiam cum auctoritate conjunctam.* Quærendus superest apud Iulium canon ecclesiasticus cujus meminit Socrates. Ait ergo Iulius de Athanasio Alexandrino & Marcello Ancyano loquens: *ὡς γὰρ ὁ θεὸς, ὁσὶς παρὰ τὴν ἐκκλησίαν τὴν ἀληθινὴν, εἰς τὴν ἐκκλησίαν καταβὰς καὶ μὴ ἕως τῆς ἐκκλησίας αὐτῆς ἴδεν ἡραρῆσαι πᾶσαν ἡμῶν, ἵνα ἕως ἡμετέρων ἡμεῖς ὁμιλοῦμεν. Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportebat secundum ecclesiasticum canonem & non isto modo iudicium fieri: oportebat scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quòd iustum esset decerneretur. Quorum verborum hunc puto sensum esse. Si Athanasius & Marcellus in culpa fuerunt, ut dicitis, præcipiendum non erat iudicium. Debueratis enim primum nobis scribere, ut ita ab omnibus quòd iustum esset decerneretur, nimirum secundum ecclesiasticum canonem, qui nihil gravius momenti, cuiusmodi sunt causæ Ecclesiarum apostolicarum, agi in Ecclesia sinit absque conscientia Romanæ Ecclesiæ. Ex hoc loco existimat illustrissimus Archiepiscopus Socratem & Sozomenum collegisse necessitatem sententiæ Romani Pontificis in synodis nisi canone ecclesiastico.*

Socras. lib. 1. cap. 17.

Vide Simeonis Metaphrasis cum infra cap. 14. hujus libri p. 4.

Vide infra lib. 7. cap. 4. §. 6.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

I. Cogor hoc loco paulisper remorari lectorem, ut Socratem eximiam suspicioni male fidei in qua eum ponere voluisse videtur nuper Henricus Valeſius vir clarissimus; simul ostensus, quod instituti mei ratio postulat, verissimam esse observationem illustrissimi Archiepiscopi, qui Socratem ea quæ scribit de canone ecclesiastico, quo cavetur ne res Ecclesiarum ad normam dirigantur præter auctoritatem Romani Pontificis, traxisse ait ex epistola Iulij ad Orientales. Proponam itaque primum Socratis locum integrum, tum verò annotationem Valeſij, & rationes quibus ego permoveor ut credam injuria vapulare hoc loco Socratem; ut coram positus in omnium oculis utrorumque argumentis, lector facilius iudicet quis

III. Hanc explicationem probant sequentia verba. Ait enim: *Episcopi enim erant qui patiebantur, & non vulgares Ecclesie que ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse ut primum nobis scribatur, ut hinc, & ita, quòd iustum est defini possit. Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam jam egerint quòd libuit, suffragatores sua damnationis, cui non interfumus, esse volunt. Arbitror his verbis manifestè exprefsam esse Iulij querelam adversus Orientales, quòd*

Tom. II.

E ij

Coel. lib. 1.

Coel. lib. 1. cap. 17.

Vide Simeonis Metaphrasis cum infra cap. 14. hujus libri p. 4.

Coel. lib. 1.

Vide Simeonis Metaphrasis cum infra cap. 14. hujus libri p. 4.

Coel. lib. 1.

synodum adversus Athanasium celebrasset se inconsulto, cujus ante omnes erat expectanda sententia; cum ea consuetudo sit, ut ad Romanam Ecclesiam referri oporteat de majoribus causis, ut deinde quod justum est defini possit ab omnibus, id est, communibus suffragiis Episcoporum occidentalium & orientalium. Male autem fecisse Episcopos orientales, quod ipsum non admonuerint de Concilio celebrando. itaque frustra petere eos ut consensum suum addat sententis adversus Athanasium & Marcellum latis, cum ipse neque vocatus ad eam synodum fuerit, neque illi interfuerit.

I V. Scio non extare in epistola Iulij verba illa quae ex Iulio refert Socrates, nimirum fixum ecclesiastico canone esse non oportere praeter auctoritatem Episcopi Romani Ecclesias regulare, *καταλίαν*; neque illa Sozomeni, quae ex eadem epistola refert: *ἢ ὅτι τῶν τετρατίκων, ἀνεκείνων τῶν ἐκ τῶν ἐπιτομῶν τῶν ἰσχυρῶν ἐπιπέδων*. Quae sic versa sunt ab Henrico Valeſio: *Legem enim esse pontificiam, ut pro irritis habeantur quae praeter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta*. Scio, inquam, haec non extare in epistola Iulij, ut necesse non erat reddi ipsamet verba. Satis enim fuit historicis illis si sensum verborum Iulij redderent. Id vero illos fecisse manifestum est. Ait enim Iulius canone ecclesiastico constitutum esse ut cause Ecclesiarum apostolicarum non definiantur inconsulta sede Romana; hanc esse consuetudinem ut primum ad eam scribatur, ut deinde quod justum est defini possit communibus suffragiis Episcoporum occidentalium & orientalium. Frustra petere ab eo orientales ut consensum suum addat rebus jam constitutis. Hoc est dicere secundum Socratem & Sozomenum. Debueratis, o Episcopi qui apud Antiochiam convenistis, debueratis primum vocare nos ad Concilium, hoc est, primum nobis scribere de hac causa, cum sciretis canonem sive legem ecclesiasticam esse, seu illa scripta esset, sive consuetudine tantum inducta, ut nihil gravius momenti agere in Ecclesia liceat absque auctoritate nostra. Itaque quoniam iudicium non servato ordine peregistis, iudicium quod a vobis latum est absentibus nobis, cum consensu nostro praeterea destituatur, quem non obtinebitis, irritum erit.

V. At, inquires, ubinam est *ἢ ὅτι* ille *τετρατίκων* cujus meminit Sozomenus? iam respondi necessarium non esse ut historicus retineat ipsamet auctorum verba ex quibus historiam suam conficit; & adhuc respondere possum ita putasse etiam Socratem & Sozomenum, qui diversis omnino verbis usi sunt in hac causa, tamen si uterque se profiteatur accepisse ex epistola Iulij. Quod enim Sozomenus dixit *ἢ ὅτι τετρατίκων*, alter dixit *ἐκ κληρονομίας κατὰ*. Quin & interpretes quoque interdum suppleunt sensum auctorum suorum; ut etiam Valeſij exemplo probare possumus. Legitur apud Eusebium in libro I I I. de vita Constantini cap. v I I. *οἱ δὲ τῶν ἐκ τῆς γαλατίας ἐ σαμυρονίας, καππαδοκίας τε ἐ ἀσίας ἐ φρυγίας, τῶν ἀπὸ αὐτῶν παραχρῆν ἐκείνους*. *Pomus item, Galatia, Pamphylia, & Cappadocia, Asia quoque, & Phrygia, lectissimum quemque ex suis praebere*. Hunc locum describens Socrates, Galatiam & Cappadociam omisit, & Pamphylia post Asiam & Phrygiam nominavit, quamvis apud Eusebium prior ordine recensita invenitur. Nam haec omnino sunt verba Socratis, ex Eusebio, ut ipse ait, ad verbum descripta: *οἱ δὲ τῶν ἐκ τῆς ἀσίας, φρυγίας τε ἐ σαμυρονίας, τῶν ἀπὸ αὐτῶν παραχρῆν ἐκείνους*. Et tamen Valeſius, ne quid haec Eusebianum deesset, versionem quam Eusebio dederat, integram retulit ad hunc locum, supplens videlicet errorem So-

Sozom. lib. 1. c. 10.

Socrat. lib. 1. cap. 8.

cratis, & quae ab eo praeposterè dicta erant in ordinem revocans. Nam in istius versione sic ad verbum redditus à Valeſio est locus Eusebij: *Pomus item, Galatia, Pamphylia, & Cappadocia, Asia quoque, & Phrygia, lectissimum quemque ex suis praebere*.

VI. Ecclesiasticum illum canonem, cujus ex Iulio meminit Socrates, Nicænum sextum esse probat illustrissimus Archiepiscopus. Quod si quis tamen contentionem in verbi controversia ponere velit, rejectaque eruditissimi antistitis explicatione adhuc querendum putat de quo canone ecclesiastico loquatur Iulius, possum non incongruè respondere canonem illum sive legem sacerdotalem nihil aliud esse quam consuetudinem illam quae exigebat, quemadmodum contendit Iulius, uti de majoribus causis ad apostolicam sedem referretur. Legum enim alias esse scriptas, alias verò non scriptas, quae consuetudine & usu nituntur. Nam & *ἢ ὅτι* aliquando significat consuetudinem. Et *κατὰ* apud auctores ecclesiasticos significat regulam & normam vivendi. Regularum autem ecclesiasticarum quaedam ordine & canone tenentur, quaedam consuetudine firmatae sunt, ut in Concilio Carthagine habito anno c D X V I I I. disseruit Faustinus Episcopus Potentinus, Legatus Romanae Ecclesiae. Itaque sive canonem illum intelligamus de Nicæno sexto, sive de regula ecclesiastica ex consuetudine descendente, manet idem verborum sensus. Ab hac igitur contentione disputationis animum curamque laxemus.

V I I. Sed antè quàm huic Additioni finem imponam, necessarium mihi videtur, id quod in prima libri istius editione fecimus, admonere lectorem, hanc de Legatis Dissertationem ab illustrissimo Archiepiscopo scriptam esse anno M D C X I. nondum inventa decretali Papae Vigilij epistola pro confirmatione Quinta synodi, quae anno tantum sequenti emissa in lucem ab eo est. Si tum, cum ista scribebantur, epistolam illam Marca praemanibus habuisset, haud dubiè ejus auctoritate usus esset ad probandum Quintam Synodum à Vigilio confirmatam fuisse, quemadmodum illud ipsum testimonium Sextae Synodi probavit in calce istius capituli. Ceterum epistolam illam Vigilij, unà cum illustrissimi Archiepiscopi ad eam Dissertatione, in gratiam eruditorum typis Francisci Mugueti exprimi curavimus eodem tempore quo secunda haec istarum Dissertationum editio procuratur in officina ejusdem typographi.

CAPVT XIII.

Synopsis.

I. Reverentia sedi apostolica debita, in Concilio Sexto exhibita fuit. Agebatur de proscribendo errore Monothelitarum. Ei praesuerunt Legati Papae Agathonis: qui jure primatus de quaestione proposta retulerunt, & quamvis esset apostolica sedis sententia significarunt. Imperator ordini judiciorum imminet, Macarius Antiochenus damnatur.

II. Legati recitant testimonia patrum qui duas in Christo voluntates & operationes predicabant. Ea conferri cum authentico patrum codicibus postulant aliquot Episcopi. Epistola Agathonis suscepta sunt à synodo, tanquam à Spiritu sancto dictata. Anastasius Bibliothecarius explicatur. Biny conjectura repudiatur.

III. Actione x. facta est publicè collatio locorum ab Agathone citatorum. Item locorum quibus haeretici